

tus, sed potius confirmatus et in subsidium retentus est. Tam in fauorem Germanorum, quorum opera, teste *Cromero* Polonia frequentari, et cultior esse pagis et oppidis coeperat, id factum esse videtur, quam etiam Polonorum causa, qui legibus Saxonice, per inualefcentem hucusque usum earum voluntarium, aduofacti iam erant. Interdixit quidem *Casimirus Magnus* prouocationibus a iudiciis Polonicis ad tribunal Magdeburgense in Germaniam subinde factis, easque prorsus sustulit, quoniam hasce appellationes ultra fines regni sui institutas in contemptum et dehonestationem iurisdictionis suae, litigantibusque in dispendium et perniciem vergere, Magdeburgenses autem iurisdictionem contentiosam in Polonos hac ratione pedetentim sibi arrogare posse suspicabatur. Tantum vero abest, ut idcirco usum Saxonici iuris plane abrogauerit, ut potius singulare quoddam et supremum iudicium Teutonicum in arce Cracouiensi constituerit, ubi *Advocatus* ab ipso Rege constitutus cum septem *Scabinis* decisionem causarum, per appellationem a iudiciis inferioribus illuc deuolutarum, secundum libros iuris Magdeburgici ferret. *Chartam* huius constitutionis sub dato Cracouiae 1356. in crastino *S. Francisci*, exhibuit *GOLDASTVS* in *Coll. consuetud. et legum imper. in Praefat.* nec non *DLVGOSVS* l. c. L. 9. p. 1105. seq. ubi inter alia *Casimirus R.* ita loquitur: „Libros iuris Magdeburgensis ordinamus et in thesauro nostro castri Cracouiensis deposuimus. In eodem quoque castro nostro Cracouiensi, constituimus ius supremum Teutonicale Prouinciale vice et loco iuris Magdeburgensis, de libris eiusdem promulgari debere, sententias et iura per aduocatum nostrum, et septem scultetos seu aduocatos, dicti iuris prouincialis peritos - - - licitum erit - - - ius et sententias postulare de libris nostris praedictis iure Magdeburgensi.“ Conf. *SARNICII anal. Polon. L. 7. ad a. 1355.* *CROMER. de Orig. et gest. Polon. L. 12. p. 215.* *IDEM in Polon. descr. L. 2. p. 32. et 37.* Accedit, quod varia